



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 55. Patrum querelæ contra Legatorum propositionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. LV.

*Patrum querelæ contra Legatorum  
propositionem.*

*Pallav. c. 8.  
n. 4*

Hæc primi Legati verba Præfules ægerrime ferebant, rati, per ea ipsis præteritorum culpam obici, eisque imposterum libertatem adimi: hinc Rofanensis, & Jadrensis Archipræfules se mirari ajebant, quod Cæsar vi, metuque adversus illos agere vellet: insuper Caspar Cervantes Hispanus, Archiepiscopus Messanenſis, de hujusmodi importunitate, quasi Concilio injuriâ, questus est, nec minus Parisiensis Episcopus declaravit, quod malit conscientiæ suæ, quam reliquis rebus consulere, ideoque non velit assentiri Decreto. Illud pariter cum ea propositionis formula rejecerunt Antonius Augustinus, Bovius, & Campeggius: Martinus vero de Corduba Dominicanus, Episcopus Dertusensis, hæc effatus est: *Mihi hoc Decretum displicet secundum conscientiam, sed placet secundum homines.* Egidius Falcetta Episcopus Caprulentis in hæc verba prorupit: si hoc Decretum admittitur, palam eidem tanquam irritum me obstiturum declaro, atque a Synodo recedam: Postmodum jam querimoniam contra Cæsarem in tumultum abibant, ast Cardinalis Simo-  
netta

netta prudenti dicendi modo exposuit, Sæcul. XVI. A C r:62.  
 conqueri Cæsarem, quod tunc, cum Synodus duos illos articulos se petente reservasset, Patres ne responso quidem ipsum essent dignati: idcirco eam quisque sententiam pacate ferat, quam dignitati Synodi, & Ecclesiæ utilitati profuturam putarent. Per hæc verba delinitis, & quasi restitutis in libertatem Patribus, rumor resedit, collectisque tranquille sententiis, octo supra nonaginta Patres Decreto consenserunt, triginta vero octo dissenserunt: itaque hoc Decretum accedentibus plurimorum suffragiis fuit approbatum.

§. LVI.

*Oratorum conventus apud Pragensem Episcopum.*

Eadem die paulo post habitam congregationem Legati Principum ceteros Pallav. n. 5. § 6.  
 rogarunt, ut una omnes in domum Archiepiscopi Pragensis, cum is omnium Ep Legat. § arc. not.  
 Oratorum esset primus, convenirent ad Viccom. ad Borr. 16. § 17. Sept. ap. Pallav.  
 communis emolumenti negotium. Interesse recusabant Veneti, ac Florentinus; idque hic abs dubio fecit, ne de sedis prærogativa cum Helvetiorum Deputato contendere cogeretur: illi autem id ipsum renuerunt, eo quod nullum ejusmodi conventibus assistendi mandatum a suo Senatu accepissent: Igitur

X 5 aderant